


CZASOPISMO DLA NAUCZYCIELI

Cena zł 8.00
INDEKS 362093
PL ISSN 0446-7965

Języki Obce w Szkole



WYDAWNICTWA
CODN

MATERIAŁY PRAKTYCZNE



Piotr Wietrzykowski
Bytom

Silesia Latina apud sanctum Hyacinthum Kamień Śląski (Lapis Silesius), 12–18.07.1999¹⁾

Cum ante duos menses ab una moderatrice, Anna Rozmus, invitationem ad Seminarium de SILESIA LATINA participandum accepissem, gavisus sum. Cum cognovissem participes eius Seminarii tantum lingua Latina usuarios, gavisus sum iterum, sed etiam paulum territus sum. Quomodo hoc? Immo linguam Latinam didiceram atque docui et adhuc doceo, lingua Latina uti scribendo minime conatus sum, sed lingua Latina dicere, colloqui? Ubi lingua Latina, Romani antiqui et nos, mundus modernus, nomina moderna ac inusitata in antiquitate? Quid critici mordaces dicant? Gavisus sum tamen multo magis participes omnes uno animo non malo nationali, sed bono communi ac pari, vere Europaeo, lingua Latina collocuturos esse. Praeter modum gavisus sum etiam atque, quoniam in invitatione praeter alia legi: „Veni cum gaudio, multi amici Silesiae Latinae te hilarem exspectant!” Timorem deposui, nomen dedi.

Tres societates nos invitaverunt in vicum Kamień Śląski, locum prope Opoliam, tres societates, quae amant Latinitatem, amant communitatem Europaeam, amant Silesiam: Universitas Opoliensis, id est praecipue prof. Ioanna Rostropowicz ac eius assistentes, Latinitati Vivae Provehendae Associatio (L.V.P.A.), id est Inga Pessarra-Grimm (apud nos Polonos femina semper in loco primo) et Dietmar Alexa (vir

tam Romanus, ut tempore Latine colloquendi iam non Dietmar, sed Marius nominetur) atque Fundatio „Pallas Silesia”, id est Sbigneus Kadłubek. Quam magnifice hi omnia praeparaverunt!

Pars maior participum Opoliam via ferrea advenit. Duae puellae pulchrae tabulam indicatoriam tenentes iam in porta stationis ferroviariae nos exspectabant, salutabant atque, ubi locus congregationis esset, indicabant. Hospitalis est Silesia. Cum mox in Universitatem Opoliesem (unde postea autoraeda longa provecti sumus ad locum Seminarii in castello familiae Odrowąż in vico Kamień Śląski) advenissemus, iam prof. Ioanna Rostropowicz nos salvet, iam dr. Gabriela Wcisło nos monet, ut intremus, ut animum corpusque relaxemus (ardor hoc die erat magnus), iam Anna Rozmus et Radek Nałęcz cafeam, theam, aquam mineralem, sed etiam varia dulcia nobis praebent. Primae salutationes participum, primae quaestiones, primi curiosi oculorum conspectus: „Unde quisque venit? Qua difficultate aut facilitate Latine dicit? Estne benevolens erga nostros lapsus erroresque?”

Circa dimidium horae autoraeda longa vecti sumus ad vicum Kamień Śląski. Aspectus castelli, ubi nobis habitare, ubi res novas discere, ubi novos amicos amicasque ex variis orbis terrarum nationibus cognoscere licuit,

¹⁾ patrz *Żywa łacina w Kamieniu Śląskim łączy Europę*, „Sprawozdania”, s. 117 (red)

magnificus erat. Ante bellum secundum mundanum castellum erat perpulchrum, sed post bellum adhibebatur primum ut locus ducis militum sovietici, postea ut domus orborum, deinde in ruinam cecidit. Noctuae ibi habitabant et vacui omnibus ornamentis despoliati parietes terrebant sua tamen magnitudine. Anno 1992 castellum, quod olim fierat locus nativitatis Sancti Hyacinthi, etenim locus sanctus, acceptum a dioecesi Opoliensi, industria episcopi Alfonsi Nossol, cooperatione Germano-Polonicae foundationis, renovatum atque ad praeteritam magnificentiam restitutum sanctuarium Sancti Hyacinthi factum est. Hic nobis lingua Latina, non mortua, sed viva, colloquendum erat.

Alii autoraedis suis advenerunt et necesse hoc erat, quoniam — ut postea vidimus — multas res ad seminarium celebrandum utiles auxiliares librosque varios permultosque secum moderatores portaverunt. Primum ante cenam diei primi Ingae obviam veni, a qua verbum novum didici: „perspicillum”, quod ea pulchrum habebat, et eius telephonulo gestabili usus sum (gratias). Cena erat sicuti omni vespere hora undevicesima, abundans erat diversique generis — ascetas nos non fore cogitavi.

Inter salutationemque nos a Silesia participes in linguam Latinam canticum in Silesia totaque Polonia notum, „Poszła Karolina do Gogolina”, vertimus, quod die futuro omnes cantavimus non tantum in aula, sed etiam in microphonum radiophoniae Opoliensis. Sex eius cantici strophae sunt, non omnes optimo accentu verborum (excusate, excusa Anna Elisa Radke, poetae non sumus), sed primum eius seminarii Silesio-Polonico-Latinum canticum:

Vadit Carolina ad Gogolinum, (bis)
 Carolus post eam, Carolus post eam
 Ferens lagoenam
 Redi Carolina, vadunt hospites, (bis)
 Ego non revertam, nam sum maesta valde,
 Nam sum in ponte.
 Vendidit annula et suppendula, (bis)
 Emit sibi agrum, emit sibi agrum
 Et magnam domum.
 Et post eam domum pulcher equus stat, (bis)
 Iam se Carolina, iam se Carolina
 Marito ornat.
 Cum se ornavisset, valde plorabat, (bis)
 Viridem coronam, viridem coronam
 Capit(e) eripiebat.
 Corona, corona, quam tu viridis, (bis)
 Ac meum corculum, et meum corculum
 Iam pertriste est.

Huius cantici vertendi causa nimis sero ad SALUTATIONEM venimus (veniam da nobis, Inga). Tunc Marius dicendo nobiscumque colloquendo ut Romanum verum cognovi. Horae fluebant ac Marius nos iocando, cantando delectabat. Participes vetustiores Hymnum Latinistarum „Vivat Latinitas!” a Guidone Angelino compositum cantabant, nos eum discebamus ac post nonnullas minutas una cantabamus:

Chorus Latinistarum:
 Ave, Latinitas perennis,
 salve, miranda Latinitas!
 Mentis nostras tibi dicamus
 viva ut fias iterum
 inter omnes Europae gentes,
 vinculum pacis validum.

Chorus Europaeorum:
 Mater, tu
 in unitatem strinxisti
 iam nos.
 Ergo nunc
 renova miraculum
 inter nos.

Ave, Latinitas!

Tum primum etiam pronuntiationem restitutam audivi et intellexi bis nobis omnia vertendum fore: primum e Latino restituto in Latinam apud nos usitatum, tunc e Latino nostro in linguam Polonicam. Cum audivi „Kajkilia”, meditabar, quid id verbum significaret. Post momentum intellexi „Kajkiliam” „Caeciliam” esse. Hae nobis erant primae difficultates. Quae iam minuebantur cum ad nostra conclavia cantica murmurantes digrediebamur.

Sic dies primus, dies Lunae (12 m. Iulii sive ante diem IV Idus Iulias), praeteriit.

Die sequenti INAUGURATIO SOLLEMNIS facta est. Post ientaculum (cottidie hora octava) modo Suetico (quisque e mensa dapifera communi varios multosque cibos eligere poterat), post conventum (cottidie hora nona), nos omnes in aula pulcherima congregati sumus. Salutationem pro moderatoribus Opoliensibus et etiam pro Universitate Opoliensi, quia rector adesse non potuit, prof. Ioanna Rostropowicz fecit. Participes seminarii Opoliensis ex variis Europae regionibus advenerunt: praeter nos, Polonos, plurimos — scilicet — Germanos video et Nederlandos, Bohemum, puellas alteram Slovacam alteram Moravam, atque ortu Americanum cum magna barba, quem

postea veluti verum Sinensem cognovi. Sedebam, auscultabam et meditabar: „Europa sumus. Lingua Latina nos coniungit, qua pares sumus”. Pro sanctuario ad nos locutus est administrator eius sanctuarii, reverendissimus dr Ervinus Mateja. Gravia verba nobis Christi citavit „ut unum sint”, et addidit, ut nos, participes eius congressus, unum fieremus. Pro Instituto Historico Director eius Instituti, Adamus Suchoński, deinde pro civitate Gogolinien-si, in cuius potestate vicus Kamień Śląski est, burgimagister Norbertus Urbaniec, tandem pro fundatione „Pallas Silesia” Sbigneus Kadłubek et pro Latinitati Vivae Provehendae Associatione praeses eius societatis, Marius Alexa, locuti sunt. In inaugurationis sollemnis fine musica atque carminibus magnificis delectabamur. Non tantum Catharina Jasińska, quae perpulchre carmina „De Narcisso” et „De Orpheo” ex Ovidii „Metamorphoseo”¹ cantavit, quibus melodias Sigfridus Zejglic composuit atque nobis clavicordio cecinit, non tantum Anna Elissa Radke (quam pulchra, quam multa carmina scripsit!), Sabina Traud (quam pulchre cantat atque variis instrumentis musicis canit) et Marius Alexa (quam scite cantat, iucunde carmina componit, quam magnifice variis instrumentis musicis utitur) linguae Latinae peritissimi sunt, sed etiam hi omnes in arte musica ac cantatoria splendidissime eminent.

Inauguratio sollemnis Seminarium Opoliense finitur, cenaculum ad prandium comedendum, ad alios cognoscendos aperitur. Post prandium, tempus erat aut per pulchrum castelli hortum ambulandi aut vicum visitandi aut in lecto quiescendi usque ad horam sextam decimam, qua officia postmeridiana incipiebantur. Haec officia postmeridiana (aliis diebus etiam antemeridiana) scholis atque acroasibus constabant. Duobus in oecis minoribus scholae, id est exercitationes, habitae sunt, in quibus et Latinitatem cottidianam (Sabina Traud: „Cognoscamus alter alterum!”) et Latinitatem antiquam (Caecilia Koch: „Epistularum Plinii lectio et interpretatio”) exercuimus. Nulla alia lingua uti licebat nisi Latina, quod quisque nostrum libenter faciebat, quamquam non semper sine difficultate.

Hora septima decima autem duas acroases audivimus, unam profestricis Ioannae Rostropowicz: „De Silesiae terra” (cum profestrix suam allocutionem in similitudinem „Belli Gallici”

Caesaris cohavisset: „Silesia est omnis divisa in partes duas”, applausus in aula surrexit), alteram doctricis Gabrielae Wcisło de Silesiae historia.

Cottidie hora duodevicesima rebus musicis exercebamur. Quam multa et pulchra erant cantica, quorum unum citabo: (strophae 1 et 2 a Sabina et Mario additae sunt, quae ad Sanctum Hyacinthum Silesiamque spectant; verba originalia in strophae 3: prof. Valabfridus Stroh, musica: Jan Novák 1983)

Ludi sunt Latini...

Sumus non Corinthi, Corinthi,
sed in viridiari — ario
Sancti Hyacinthi — acinthei
et eius sanctuari — ario.

O Latinitas! Quot et quanta das
gaudia et carmina cum fidi — fidibus!

Iuvant nos Latina, Latina
in gremio Silesiae — lesiae.
Aura Viadrina — adrina
delectat ut etesi — tesiae.

O Latinitas ...

Ludi sunt Latini, Latini,
Latinum carmen cani — canimus.
Fecit non Rossini, Rossini,
sed laetus noster ani — animus.

O Latinitas ...

Eadem die post cenam vespertinam Norbertus Thiel perpulchre claraque voce de suis rebus miris narravit, quae ei in Oriente Proximo itineranti modo acciderant.

Dies secundus, dies Martis (13 m. Iulii sive ante diem III Idus Iulias) praeteriit.

Die tertio nostrae in castello Camensi commorationis ante meridiem acroasin Sbignei Kadłubek „Musarum dilecta domus sive de Silesiae gentis Parnasso” audivimus. Quot erant in Silesia saeculis XVI-XVII scriptores lingua etiam Latina scribentes! Qua de re Silesia „Smaragdi” nomen quoque habebat ac „Elysi”. Hora decima Sabina Traud in schola sua porro in cognoscendo participes prosequabatur atque eosdem participes ad Horarium Opoliense constituendum ex singularibus verbis inclinabat, Marius Alexa autem magnam tabulam triumphum Romani monstrans suos discipulos ad eundem triumphum describendum adhortabatur. Post meridiem Antonius Wagner nobis verba fecit. Initio veram acroasin „De emblematis Latinis saeculorum XVI/XVII/XVIII habuit, sed postea acroasin in scholam mutavit, quoniam quisque participum tres chartas accepit: unam cum imaginibus emblematum (I, II ...), secun-

dam cum indice lemmatorum (1, 2, ...), tertiam cum epigrammatis (a, b, ...) et has omnes convenienter accommodare debuit. Hanc exercitationem post horam non finitam nobis reliquit velut „pensum domi faciendum”. Iam aliae scholae instabant. Hora septima decima Caecilia Koch Plini interpretationem continuavit, Inga Pessarra-Grimm autem scholam de „Imaginum Vocabulario Latino” Sigridis Albert habuit: foliis translucidis librum descripsit et nos rogavit, ut de re indicarem sententiasque faceremus. Multos enim libros iam antecedenti die apportaverat, in mensa exposuerat, ad eos emendos suaserat. Erant utiles pulchrique, quapropter duos emi: supra indicatum „Imaginum Vocabularium Latinum” atque „Fastos Europenses”, ubi imagines in omnes dies anni distributae multis linguis Europeis descriptae sunt, in quibus lingua Latina secundum locum ferat. Hora sexta decima, tempore nostrarum exercitationum musicarum Anna Elissa Radke poema novum, praeposuit: parvum, sed pulchrum, in quo tres notiores Hyacinthi quasi unitatem supratemporalem creant: primus puer amatus ab Apolline, secundus martyr saeculi IV tertiusque noster Hyacinthus saeculo XIII. Ecce poema novum:

Ad Sanctum Hyacinthum

Nominis tui violacea aura
thure dulcior foliis adhaerens
implet hortulum vetus et sacellum,

Sancte Hyacinthe!
O puer dilecte deo atque martyr,
qui pater vocaris apostolusque,
o Polonorum pius et patrone,

Sancte Hyacinthe!
Tu, precor, succurre tuae clientae,
tristibus submergor aquis dolorum.
Da tuam mirabilem adhuc lacernam,
Sancte Hyacinthe!

Et ita dies tertius, dies Mercurii (14 m. Iulii sive pridie Idus Iulias) praeteriit.

Die sequenti post ientaculum autoraeda longa Opoliam urbem visitatum profecti sumus. Primum in Curia municipali burgimagistra, Halina Żyła, mulier pulchra in pulchra aula nos accepit. Me interprete (qualis sudor hoc labore de humeris meis defluebat, sed gratias omnibus pro venia) condiciones vivendi urbis narravit, nos salutavit, nobis omnia optima optavit, libros de Opolia etiamque quattuor tunicas cum inscriptionibus Opoliensibus ad urbem

propagandam donavit. Deinde Marius partem participum excursionis per Opoliae monumenta (templum Sanctae Crucis, templum Assumptionis Beatae Mariae Virginis in Monte, templum Franciscanorum cum Piastaeorum sacello) circumducebat, pars altera privato consilio tabernas potius visitare volebat. Cum ad Kamień Śląski reverteremur in autoraeda longa colloquium cum Sabina Traud habebam. Proposui, ut discipuli mei eiusque discipuli (si prompti sint) invicem sibi epistulas lingua Latina conscriptas mitterent. Propositum meum acceptum est. Horis postmeridianis praeter Caeciliae scholam Plinianam acroasin doctoris Iosephi Mantke audivimus „De Christophori Winter carmine Latino”, hora autem septima decima cenam habuimus non domi, ut solebamus, sed apud focum sub love. Botellos igne tostos (id quod hodie „grill” nominatur) variaque acetaria vegetabilia edimus vino propinantes. Sera nocte is dies finitus est.

Et ita dies Iovis (15 m. Iulii sive Idibus Iuliis) praeteriit.

Dies quintus nostri seminarii post ientaculum conventumque ab acroasi iucunda Norberti Thiel „De Mausoleo Piastaeo Legnicensi eiusque inscriptionibus Latinis” hora decima inceptus est. Norbertus Thiel (Norbertus Silesius Thilo Legnicensis ut de se scripsit acroasis auctor) imagines Mausolei monstrans inscriptionibusque eius Mausolei utens totam historiam Piastaeorum eorumque temporum Poloniae verbis expressit. Postea Marius Alexa in schola (potius in acroasi ut mihi videtur) duos poetas comparavit, Vergilium eiusque „Georgicon II” atque Franciscum Fabrum, qui in opere suo, sine dubio ad Vergilium spectanti, Silesiam laudat ac in Romae Silesiaeque comparatione huic priorem locum dedit. Post prandium meridiationemque ad Montem Sanctae Annae profecti sumus. Sanctam Annam eiusque filiam nepotemque adoravimus, nonnulla sacella in via crucis visitavimus, monumentum dubia pulchritudine vidimus, in amphitheatro quietem cepimus idque amphitheatrum canticis lingua Latina aliisque linguis implevimus, postea domum revertimus. Vespere eius diei vitam cauponariam degustavi (nonnulli cottidie). Post cevisiam vinumque linguae leviores, amicitiae celeriores, corda oraue laetiora. Vespertina vita cauponaria pars secunda nostri seminarii

erat. Tenesne, Mari, memoria Teresam te „Chrząszcz brzmi w trzcinie w Szczepieszynie” docuisse, te autem, ut verteres „chrząszcz” in chartula insectum Maiale pinxisse? Ab illo vespere mihi Ioannam et Gabrielam tuissare licet, quo honore adhuc gaudio magno expleor.

Et ita dies Veneris (16 m. Iulii sive ante diem XVII Kalendas Augustas) praeteriit.

Paenultimo die nostri seminarii ante prandium quattuor orationes habitae sunt. Primum Christophorus Kugelmeier periodicum „Golumus” monstrans de Studiorum Classicorum institutione in Universitate Potsdamiensi narravit. Deinde in acroasi „De prosodia Sinica Iaponicaque cum principiis versificationis linguarum Indo-europearum comparata” Bradius Vilcensius Maurus III perdocte, sed et periuicunde problema exposuit. Impossibile est scripto verbo monstrare id, quod voce viva Bradius expressit. Exempli causa „Ma-ma ma ma ma?” (quod lingua Sinica „Exercatne matercula equum?” significat) solum viva voce vario accentu, longitudine syllabae modulationeque recte exprimi potest. Postea Helga Bieniusa de vita Sancti Hyacinthi, patroni Europae orationem habuit. In fine eius partis antemeridiana dr Nicolaus Szymański „Nicolai Hussoviani Carminis de Sancto Hyacintho” auditoribus hexametra recitantibus eas partes, quas audientes antea praelegerant, explanavit.

Quoniam dies valedictionis appropinquabat, novum carmen „Valedictionis” Annae Elissae Radke die 15. 7. 99 compositum nobis discendum erat:

Valedictio

Referte grates et valedicite

locis amoenis et genio loci:

Silesia, o vale, beata,

atque vale tibi, grex Latine.

Iam gutta manat ex oculis recens,

amplectitur nunc alter et alterum,

interque nos et osculemur —

Nos, Hyacinthe benigne, serva!

Non omni Seminarii Opoliensis institutioni interfui. Acroasin Primislai Marciniak „De tragoedia, quae inscribitur <Avaritia crudelis et punita in Mauritio Imperatore>”, non audivi, scholae Marii „De neologismis recte colendis” ac nonnullis lectionibus Caeciliae Koch non interfui. Excusate.

Post eius diei meridiationem hora quinta decima Ioannes Kopiec, unus ex episcopis

Opoliensibus nobis Missam Latinam celebravit. Gratias ei dicimus, quoniam quamquam de Germania antecedenti die reverterat, defatigatus tamen ad eam Missam celebrandam venit.

Cena finalis sollemnis erat. Ad eam sollemnitatem Doris et Antonius Wagner una cum Mario in valtornis (?) pelpurchre canentes nos praeparabant. Grata semper culina, sed eo die gratissima. Coquinaria bona pro cibis optimis optimas laudationes a Mario accepit. Sed non est eius diei finis. In aula Marius et Inga omnibus gratias agentes ab omnibus maximas gratias acceperunt. Catherina Jasińska et Sigfridus Zejglic Horatii Carmen „Dianam tenerae dicite virgines” (si bene audivi, quoniam vinum in capite meo iam effervescebat) cecinerunt, ad canticum de „Vino nostro glorioso” quodam anno anonymo 1540 compositum Silvanus Martens fabellam potatoris egit, quae omnibus grata corda nostra laetitia complevit.

Sic paenultimus, dies Saturni (17 m. Iulii sive ante diem XVI Kalendas Augustas) nostrae commorationis dies praeteriit.

Ultimus dies, dies valedictionis, dies Solis (18 m. Iulii sive ante diem XV Kalendas Augustas) advenit. Post prandium cum Marius valedicens puellas amplectens sursumque allevens diceret: „ut plumae”, nonnullae abundantem culinam memorantes responderunt: „non ut plumae, sed ut plumbum”.

Et sic transiit nostrum Latinitatis vivae seminarium Opoliense. Aliqui censor severus dicit: „Barbaria! Latinitate viva dignitatem Ciceronis aliorumque maiorum deminuistis! Numquam oratoribus antiquis aequabimini!”. Respondeo: Cicerones non sumus, sed linguam Latinam singularem radicem communis Europae, eximum parium nationum vinculum esse scimus. Scio etiam me eorum linguae nescium laeto ore sine timore cum Germanis, Bohemis, Slovaccis aliisque colloqui potuisse. Hic sensi, quid significaret: „Ut unum sint”. Scio quoque linguam Latinam, sicuti alias linguas non esse ipsam finem terminumque, sed instrumentum ad veram amicitiam adipiscendam. Lingua Latina in antiquitate et in mundo moderno quasi systema nervorum est. Diebus hodiernis pauci hoc systema conficiunt, sed non spernentes cetera membra corporis Europae gravitatem huius systematis videmus ac id confirmare adiuvamus. Ergo, ad feliciter rursus beneque post annum conveniendum! (wrzesień 1999)

Żywa łacina w Kamieniu Śląskim łączy Europę¹⁾

Jedna, wspólna Europa to marzenie idealistów. Oglądana obecnie polityczna dążność do scalenia naszego kontynentu i utworzenia z niego jednego organizmu, to szlachetny cel. Gdy liczba członków wspólnoty europejskiej będzie wzrastać, pojawią się w niej pewnie trudności, zwłaszcza te dotyczące porozumiewania się. Albo będzie to bowiem równoprawna Europa, w której każdy naród będzie mógł się szczyścić swoim dorobkiem kulturowym i językiem, albo będzie to Europa silnych, dominujących oraz słabych, w pewnym sensie, podległych. Języki państw mocnych mogą wzbudzać negatywne odczucia historyczne i stwarzać poczucie nierównoprawności członków wspólnoty. Neutralnym językiem nie wzbudzającym negatywnych odczuć jest język łaciński, Matka wszystkich języków Europy.

W dniach 12-18 lipca 1999 r. w Kamieniu Śląskim pod Opolem odbyło się seminarium poświęcone próbom ożywienia łaciny, języka uważanego za martwy, ale tkwiącego w wielu współczesnych językach i znajdującego zwolenników i praktycznych animatorów mówienia po łacinie również dzisiaj. Było to piękne spotkanie życzliwych ludzi z wielu krajów Europy, na którym nikt nie narzucił swojego narodowego języka, ale każdy na wspólnej platformie neutralnej łaciny mocował się z sobą samym w budowaniu tego szczególnego wężła wspólnoty. W spotkaniu uczestniczyło wielu nauczycieli języka łacińskiego, niech więc sprawozdanie z tego zjazdu – napisane po łacinie – będzie dla uczestników wspomnieniem tych dni, dla nieobecnych zaś i uczniów, zachętą ożywiania języka Matki i motywacją do nauki.

(wrzesień 1999)

¹⁾ patrz sprawozdanie z seminarium *Silesia Latina apud sanctum Hyacinthum*. „Materiały praktyczne”, s. 71. (red)

Zapraszamy do reklamy na łamach naszego czasopisma

Ceny ogłoszeń są następujące:

Cała strona wewnątrz numeru (jeden kolor)	– 3.000 zł + 22% VAT.
Druga i trzecia strona okładki (jeden kolor)	– 3.500 zł + 22% VAT.
Czwarta strona okładki (jeden kolor)	– 4.000 zł + 22% VAT.

Za każdy dodatkowy kolor cena wzrasta o 25%.

Wewnątrz numeru oferujemy również możliwość umieszczenia notek o książkach:

$\frac{1}{2}$ strony	1500 zł + 22% Vat.
$\frac{1}{4}$ strony	750 zł + 22% Vat.

Możliwe są również kilkudzaniowe informacje o Państwa najnowszych i przyszłych publikacjach.

Wymiary reklamy na całą stronę to 135mm w poziomie i 210mm w pionie.

Osoby zainteresowane proszone są o kontakt z redakcją:

**Redakcja czasopisma „Języki Obce w Szkole”
Centralny Ośrodek Doskonalenia Nauczycieli,**

ul Aleje Ujazdowskie 28, 00-478 Warszawa,
tel 621-30-31 wew .400, fax 621-48-00.
e-mail: jows@codn.edu.pl